



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Præambula ad veram sententiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

esse falsus, ex. gr. Petrum loqui est necesse; *Petrum loqui*, quod est dictum, seu propositio de mente, potest esse verum; *est necesse* quod est modus, est falsum: similiter in hac, est de fide Papam esse infallibilem; *Papam esse infallibilem*, est dictum, & est verum apud omnes Catholicos; *est de fide*, est modus, & à pluribus Catholicis negatur, nempe ab illis, qui dicunt esse tantum Theologicè certum; ergo idem dici potest de damnatis, dictum plurimum esse verum, & modum omnium esse semper falsum.

N. 84. Sexto: quia rationes sententiæ oppositæ ad summum evincunt damnatas à Papâ ut scandalosas, non esse amplius probabiles, non autem positivè improbables, seu certò falsas, nam eo ipso, quod non sint probabiles, vel sint tenuiter tantum probabiles, non possunt dirigere conscientiam: ergo ex eo quod sint scandalosæ, non inferitur, quod sint improbables, seu certò falsæ. Confirmatur: Propositio vera, latente ejus fundamento, est non probabilis: ergo scandalosa; nam omnis opinio laxans conscientiam in materiâ morum est scandalosa: sed implicat, ut propositio vera sit certò falsa: ergo potest dari propositio scandalosa, quæ non sit certò falsa.

N. 85. Septimo: quia, ut aliqua opinio fiat improbabilis, dari debet argumentum moraliter evidens excludens probabilitatem: sed nuda Papæ condemnatio hoc non præstat: ergo Minor probatur: quia dici potest, quod Papa vetet defendere damnatas propter inconvenientiam, quin derogat earum probabilitati, quomodo vetat defendere opinionem Deiparæ in peccato conceptæ, quin hujus probabilitati derogat. Confirmatur: quia non implicat, ut propositionem aliquam falsam Papa dicat probabilior, quia multa falsa sunt probabiliora veris: ergo neque ut propositionem veram dicat scandalosam: ergo sicut non valet, est probabilior, ergo vera; ita neque, est scandalosa, ergo falsa.

Hæc esse possunt hujus sententiæ fundamenta, partim à suis Patronis, partim à me addita.

N. 86. Secunda sententia affirmat omnes propositiones in materiâ morum damnatas à Papâ ut scandalosas, esse certò falsas. Ita P. Card. tom. 1. & 4. ll. cc. P. Ripalda tom. 3. de Ente d. 1. n. 49. P. de la Fuente disp. 1. qu. 6. Card. de Lugo d. 20. de Fide n. 108. & 113. & Filgueira pag. 68. in Censurâ, (quorum ple- Fuent, rique obiter) & quotquot dicunt errare di- centem, esse veram propositionem, quam Ecclesia judicat temerariam, aut scandalosa- sam.

Fundamentum est primò; quia cum Pa-N. pa ex Cathedrâ damnat aliquam opinionem 87. in materiâ morum ut scandalosam, damnat ut falsam: ergo omnis scandalosa in materiâ morum, damnata ut talis à Papâ ex Cathedrâ, est certò falsa, quia habet contra se certum Papæ judicium. Antecedens probatur: quia si damnata à Papâ ut scandalosa, non esset falsa, sed vera, licitum esset à parte rei ejus objectum, & non nisi ob ignorantiam esset illicitum: ergo Papa damnans, ut illicitum, erraret in materiâ morum; hæc enim est differentia inter judicium Papæ ex Cathedrâ, & judicium cujusque alterius Tribunalis, quod judicium alterius Tribunalis damnans aliquam opinionem ut scandalosam, cum non sit certum, nec est certum esse illicitum objectum opinionis damnatæ: e contra, cum sit certum judicium Papæ damnantis opinionem, ut scandalosam, est certum esse illicitum ejus objectum. Ratio à priori est; quia Papa damnans opinionem in materiâ morum ut scandalosam, non damnat eam ut scandalosam ex ignorantia hominum, (eo modo, quo est scandalosum ex ignorantia veritatis ignotæ, dicere crimen occultum verum, generatur enim tunc scandalum ex ignorantia talis criminis) sed damnat ut à parte rei scandalosam, aliàs erraret in materiâ morum: sed doctrina in se scandalosa non potest esse vera: ergo opinio damnata à Papâ ut scandalosa, non potest esse vera: ergo, cum judicium Papæ sit certum, opinio damnata ut scandalosa est certò falsa.

Secundò: quia damnata à Papâ ut scan- N. dalosa manet omni tempore etiam futuro 88. sine omni fundamento probabili: sed damnata, quæ numquam potest esse probabilis, est certò falsa: ergo omnis damnata à Papâ ut scandalosa, est certò falsa. Maior patet: quia judicium Papæ est infallibile pro omni tempore: ergo si nunc tollit omne fundamentum probabilitatis, tollit etiam pro omni tempore futuro. Minor probatur: quia opinio, quæ numquam potest esse probabilis, eo quia habet contra se judicium certum, est certò falsa. Hinc, etsi aliqua opinio damnata ut improbabilis ab alio Tribunali (si hoc verum dicit) numquam futura erit probabilis, attamen non constat, quod verum dicat, constat autem Papam verum dicere: ergo, &c. Hæc P. Card. P. Card.

§. II.

Preambula ad veram sententiam.

S V M M A R I U M.

Quid scandalum? quid activum? quid passivum?

formi? quid formale? n. 89. 90.

Quid opinio actiue, aut passivè scandalosa? n. 91.

Mens TT. ibid.

Damnata ex Cathedra sunt ex objecto scandalosa, n. 92.

Cur opiniones damnatae potius, ut scandalosae, quam ut falsae? n. 93.

Scandalosum in sensu vulgari, quid? ibid.

Opinio quot modis esse possit scandalosa? ibid.

Ratio scandali in opinione est ab opinione improbabilius favente libertati, ibid.

Etsi damnata dicantur damnata tamquam scandalosa, damnantur ut absolute tales, n. 94.

Quid non probabile, quid improbabile? n. 95.

Si practica, & speculativa idem omnino obiectum habent, si una est vera, & alia; si falsa, & alia, n. 97.

Cur omne practice probabile sit speculativè probabile, non e contra? n. 98.

Modalis non aliam veritatem, aut falsitatem habet, nisi a modo, n. 99.

Dictum in modali, nec affirmatur, nec negatur, ibid.

Damnata ab Alexand. VII. & VIII. & Innoc. XI. sunt modales, n. 100.

Quae sint implicite, quae explicite modales? ibid. Pleraque doceantur, ut practice probabiles, n. 101.

Alique sunt mixta probabilitate speculativà, & practica, aliquae solà speculativà, n. 102.

Etsi ab Alex. VIII. damnata sint plerumque speculativae, aliquae tamen practicae probabilitatem indicabant, n. 103.

Ut damnata tamquam scandalosa sit falsa, satis ut sit falsa falsitate opposita veritati, quam damnata supposebat, ibid.

Dictum S. Th. de iudicij Pontificij super alia omnia praeminentia, n. 104.

N. 89. **N**ota primò, scandalum græcè idem esse, ac offensio, aut offendiculum latine. Ut ergo offensio pedis sumi potest tum actiue pro ipso objecto, aut actione causante eum lapsum, tum passivè pro ipso lapsu, ita offensio moralis sumi potest, tum actiue pro ipso opere causante in proximo lapsum spirituales, tum passivè pro ipso lapsu spirituali proximi: de utroque tractant Theologi Scholastici, & Morales cum S. Th. 2. 2. qu. 43. dividendo scandalum in activum, & passivum. Activum ex D. Th. l. c. art. 1. Est dictum, vel factum minus rectum, præbens proximo occasionem ruinæ: dicitur minus rectum, quia necesse est, ut quod causat scandalum, habeat saltem apparentiam mali; & ideo bonum, & indifferens, quia nullam speciem mali habent, non possunt causare scan-

dalum, ut bene P. G. Hurtado d. 10. de Char. diff. 1. Passivum est ipsum peccatum persone scandalizatae; duplex autem est scandalum passivum, aliud dicitur datum, & est ipsum peccatum scandalizati, ut derivatum à scandalo activo scandalizantis inducentis ad peccatum; aliud dicitur acceptum, seu ex infirmitate, nam passionibus animi sunt infirmitates; & est ipsum peccatum scandalizati secutum ex opere alterius, sive bono, sive malo, non tamen inducente ad peccatum, ita ut si peccatum scandalizati oriatur ex malitià ejusdem scandalizati, dicitur Pharisæicum, ait P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 6. n. 1. Tale fuit scandalum Pharisæorum acceptum ex doctrinà, & moribus Christi D. Si autem oriatur ex ignorantia, & passione scandalizati, dicitur scandalum pusillorum. Aliter Caram. lib. 2. Theol. Mor. Fund. pag. 680. à n. 2309. Hinc advertit P. G. Hurt. diff. 2. quòd ut scandalum activum sit peccatum formale scandali, necesse omnino est, ut quantum est ex se, sit actio facta ex intentione inducendi proximum ad peccatum: ex. gr. qui furatur coram alio, sed sine animo inducendi alium ad peccatum, non peccat peccato formali scandali activi, etsi in vidente illud furtum oriri possit admiratio, aut ex tali exemplo sumere occasionem furandi, & ideo ea admiratio, & occasio, quam videns arripit, dicitur improprie, & late scandalum. Adhæret huic doctrinæ P. Vafq. Valqu. d. 102. cap. 4. P. Sanch. l. c. cap. 6. P. Fillucius tom. 2. tr. 28. n. 125. & alij: sed ei resistunt P. Suar. d. 10. de Charit. sect. 2. P. Valen. tom. 3. d. 3. qu. 18. punc. 2. P. Oviedo. 1. 2. tr. 6. contr. 2. n. 73. & alij docentes contrahi malitiam specialem scandali sine expressâ intentione inducendi proximum ad peccatum, dummodo quis sit causa, aut occasio culpabilis peccati proximi. Idem sentit Mastr. in Theolog. Mor. d. 10. quod approbo ut magis verum.

Nota secundo, quòd proportionaliter ad datam scandali doctrinam discursu potest de propositione scandalosa, quæ similiter dividi potest (quamvis à nullo Theologo expressè indicatam viderim hanc divisionem) in activè, & in passivè scandalosam. Activè scandalosam voco illam, quæ docet aliquid præbens occasionem ruinæ spiritualis, ut rectè P. Suar. d. 11. de Fide, P. Oviedo contr. 12. de Fide punc. 4. n. 60. & alij apud illum, P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 8. & tom. 4. disp. 1. cap. 9. Diez de Prado p. 2. §. 2. n. 15. à quâ doctrinà, licet magis severe loquatur, non distat P. G. Hurt. d. 10. de Fide diff. 6. dicens, esse eam, quæ ex suâ ratione

P. Gaspar
Hurt.

N.
90.

Caram.

P. Vafq.
P. Sanch.
P. Filli.

P. Suar.
P. Val.
P. Ovi.
edo,
Mastr.

N.
91.

P. Suar.
P. Ovi.
edo,

P. Card.
Diez,
P. G.

Hurtad.

tionem

tione dat offendiculum erroris in materiâ fidei; addit Herinx *n. 95.* & Filgu. in Censurâ pag. 68. aut *morum*; addit P. Arriaga *d. 20. de Fide n. 13.* aut *male suspicandi de fide dicentis*; sed, me iudice, melius præ cæteris P. Saura de Exam. Doctrinæ *cap. 6.* apud P. de la Fuente *disf. 1. qu. 2. n. 7.* scandalosa propositio Theologicæ est, quæ præbet occasionem ruinæ in materiâ morali, & ducit, aut movet ad executionem peccati per modum dictaminis, & securæ doctrinæ. Passivè scandalosam voco inclinationem, & dictamen generatum in mente audientis inducens ruinam spiritualem. Rursus sicut scandalum passivum aliud est propriè tale, & est lapsus scandalizati tecutus ex inductione scandalizantis; aliud improprie tale, & est lapsus scandalizati derivatus ex infirmitate animi, malitiâ, aut ignorantia scandalizati; ita propositio passivè scandalosa, alia est propriè talis, nempe dictamen scandalizati alliciens ad lapsum, derivatum à propositione activè scandalosa; alia est improprie talis, & est ipsa allicientia ad ruinam spiritualem derivata à malitiâ, vel ignorantia ipsius scandalizati, qui vel non intelligit, vel malè interpretatur propositionem alterius. Demum sicut ad scandalum activum, ut sit peccatum contra misericordiam spiritualem, non est necesse, ut fiat eo animo, sed satis est, ut ex objecto, & ex se sit potens inducere proximum in peccatum, ut dixi ex P. Suar. & alijs; ita etiam ad propositionem activè scandalosam satis est, ut ex se contineat doctrinam ducentem ad æternam perditionem, etsi ex hoc fine non traderetur. Ex quâ doctrinâ intelligi potest, quod sæpè repetit P. Card. *som. 4. n. 171.* propositionem aliam esse ex se, & à parte rei scandalosam, aliam ex ignorantia hominum, quatenus ignorant ejus fundamentum; & inferit scandalosam ex se non posse esse veram, posse autem esse veram, scandalosam ex ignorantia, ut etiam docet P. Ripalda mox citandus.

Herinx,
P. Arri.
Filguei.
Saura,
P. de la
Fuente.

P. Suar.

P. Card.

P. Rip.

N.

92.

Nota tertio, certum omnino esse, quòd opiniones damnatæ ex Cathedrâ ut scandalosæ, sint ex objecto, ut ita dicam, activè scandalosæ: primò, quia ab Alexandro, & Innocentio còtinere dicuntur noxia doctrinæ pascua, & esse in praxi perniciosas: secundò, quia Innocentius damnando opiniones ut scandalosas fatetur, se inhærere Alexandri VII. vestigijs; Alexander autem à se damnatas damnavit ut scandalosas, quia Christianam disciplinam relaxabant, & animarum perniciem inferebant, & ingentem corruptelam inducebant, & arctam salutis viam in animarum perniciem dilatabant: sed

opinio continens in se, & non ex ignorantia audientium, doctrinam noxiam, perniciosam, disciplinæ Christianæ relaxativam, animarum perniciem trahentem, & per latam perditionis viam incedentem, est activè, & ex objecto scandalosa: ergo opiniones damnatæ ab Innocentio, & Alexandro VII. & plures ex damnatis ab Alexandro VIII. sunt ex objecto, non ex merâ audientium ignorantia, scandalosæ. Confirmo ex P. Ripalda contra Baium *d. 1. n. 9. & n. 58. & d. 2. n. 19.* Sicut enim potest aliqua propositio dupliciter esse offensiva pietatis, vel per se, & ab intrinseco, quia contradicit pietati, & Religioni, quam Fides Catholica dirigit; vel per accidens, & ab extrinseco, quia contradicit pietati, quam error, & ignorantia regulat; ita dico ego de scandalosa, quæ potest esse ab intrinseco talis, quia contradicit moribus, quos Fides dirigit; vel potest esse ab extrinseco talis, quia contradicit moribus, quos ignorantia dirigit; sicut autem offensiva pietatis primo modo damnatur propter falsitatem, & non tantum, quia offendit pietatem, ita etiam scandalosa primo modo prohibetur ob falsitatem. Hinc patet, cur Pontifices dictas opiniones damnaverint expressè ut scandalosas, & non potius ut falsas; ratio est, tum quia non omnis opinio, etsi evidenter falsa, & improbabilis circa materiam morum, est scandalosa, prout vulgariter sumitur scandalum; illa enim in sensu vulgari est tantum scandalosa, quæ relaxat Christianam disciplinam, & ducit per latam perditionis viam: ergo cum dictæ opiniones ducant per viam perditionis, damnatæ sunt potius ut scandalosæ; tum quia cum sint intrinsece scandalosæ ex se, eo ipso, ut dicam, supponuntur falsæ, supponuntur enim adversari ex se veritati morali, quam Fides dirigit; tum quia, ut doctissime P. de la Fuente *disf. 1. qu. 2.* ubi latè discurrit de propositione scandalosa, & quot modis possit esse talis, omnes opiniones damnatæ ab utroque Alexandro, & Innocentio conveniunt, quòd per modum regulæ securæ, & tutæ in genere moris ad ruinam disponant, & lapsum oppositum præceptis, aut consilijs Christianæ doctrinæ: ergo meritò damnatæ sunt potius ut scandalosæ. Ex hoc infero, quòd, si datur opinio aliqua, sive tenuis, sive nullius probabilitatis, immò evidenter falsa, & ea non laxet conscientiam, sed stringat, ea erit quidem falsa, sed non erit scandalosa, quia revocat potius, dum legi favet, à viâ perditionis, & conscientiam stringit: ex. gr. opinio docens esse mortale non præmittere benedictionem ante prandium, vel non statim conteri

P. Ripa,
Baius.

N.
93.

P. de la
Fuente.

conteri post peccatum, vel invertere jejunij ordinem, quæ opiniones licet sint evidenter improbables, non tamen sunt in sensu vulgari scandalosæ, quia non ducunt per lacram perditionis viam: ergo ratio ex se scandalosi in propositione non sumitur à sola non probabilitate, aut improbabilitate, sed à non probabilitate, aut improbabilitate favente libertati, & ducente per spatiosam perditionis viam. Similiter infero, quod si per scandalum veniat omne, quod inducit ad peccatum, sive laxet conscientiam, sive nimium stringat, tunc omnis propositio improbabilis nimium stringens, quia multiplicat contra rationem peccata, & ad ea quodammodo inducit, potest in hoc sensu dici scandalosa, esto in rigore talis non sit.

N. 94. Dices, opiniones damnatas esse tantum damnatas tamquam scandalosas: ergo non sunt proprie scandalosæ, nam tō tamquam significat improprietatem. Respondeo has particulas, sicut, tamquam, &c. sæpe significare rei veritatem, non autem solam similitudinem; quod autem hic significant veritatem, mihi extra dubium est, ut tandem concludit P. de la Fuente l.c. n. 20.

P. de la Fuente. N. 95. Nota quartò, aliud esse non probabile, aut tenuiter probabile, aliud improbabile: non probabile, aut tenuiter probabile, est, quod vel nullo, vel levissimo, respectivè saltem ad fundamentum partis oppositæ, fundamento autoritatis, aut rationis nititur; de quo videri possunt quotquot explicuerunt damnatas ab Innocentio, damnat enim tenuem probabilitatem satis esse ad conscientiam, quæ tenuis probabilitas non est nisi, vel parva probabilitas, vel incerta. Improbabile est, quod habet contra se fundamentum omnino certum, adeoque non probabiliter solubile. Duo autem diligenter advertenda sunt: primum, ut bene P. Card. tom. 1. d. 10. an. 31. & tom. 4. dist. 1. n. 161. quod licet in materiâ speculativâ ex eo quod una pars contradictionis non sit probabilis, non ideo altera pars est certa; nam hæc propositio, Turca dormit, non est probabilis, quia nullum pro hoc asserendo habeo fundamentum; non tamen sequitur ejus contradictoriam, Turca non dormit, esse certam, immò hæc etiam non est probabilis: at in materiâ morum, eo ipso quod non est directè probabile actionem A licere, eo ipso, nisi assumatur aliquod principium reflexum, ex. gr. Licet omne, quod omnibus examinatis non apparet directè illicitum; eo ipso, inquam, est reflexè evidens non licere, quia, ut infra probabo, non licet operari sine cer-

Tom. I.

to de non peccato formali judicio; sed de hoc fufius alibi.

Nota quintò, quod quàm certum est dari posse opinionem speculativè veram, & 97. practicè falsam, (si praxis ejus opinionis includat aliquam circumstantiam, à quâ speculatio præscindit) tam certum est non posse dari opinionem speculativè veram, & practicè falsam, si speculatio habet pro objecto praxim, & consideret omnes circumstantias concurrentes in praxi ejus opinionis. Primum est certum; quia potest speculatio præscindere à circumstantiâ, à quâ praxis talis opinionis non potest in statu reali separari, ex. gr. est speculativè probabile, quod volens committere omne veniale, non peccet mortaliter, ut tradit Herinx tom. 2. d. 7. de peccato mortali, & veniali n. 75. contra P. Sanch. de quo etiam agit P. Oviedus 1.2. tr. 6. contr. 3. a. n. 80. & a. n. 152. attamen non est practicè probabile, quod si committas omne veniale, non peccabis mortaliter, quia aliqua venialia sunt moraliter, & physicè inseparabilia à mortali, adeo ut si aliqua ex illis committas, non poteris non committere mortale ab eo inseparabile. Similiter est speculativè probabile, quod licet in talibus circumstantiis prævenire aggressiorem, attamen non est practicè probabile, quatenus aliqua deerit. In his casibus aliquid est speculativè probabile, quod non est practicè probabile, quia speculatio, vel præscindit ab aliqua circumstantiâ, à quâ talis operatio in praxi non potest præscindere, & à quâ praxis redditur illicita, vel includit aliquam, quam praxis non includit. Secundum etiam est certum; quia si speculatio attingat omnia, quæ attingit cognitio practica, tunc speculatio idem omnino habet pro objecto, quod praxis in re: ergo si opinio est practicè improbabilis, erit etiam speculativè improbabilis. Ex quo sequitur primò valere hanc consequentiam, est practicè probabile, ergo etiam speculativè; non e contra, est speculativè probabile, ergo etiam practicè; sicut nec valet, est practicè improbabile, ergo etiam speculativè. Ratio est; quia eadem probabilitas, quæ est in praxi, est eadem, quæ fuit in speculatione: ergo si est practicè probabile, seu verum, actionem A licere, erit etiam speculativè verum, actionem A licere, nam ea cognitio practica supponit hanc speculativam: e contra non eadem improbabilitas, quæ est in praxi, est necessario in speculatione, potest enim hæc præscindere à circumstantiâ, à quâ non præscindit praxis: ergo tenet consequentia, omne practicè probabile est speculativè probabile, non autem tenet,

F

net,

Herin.
P. Sanch.
P. Ovi.

N.
98.

net, *omne practice improbabile est etiam speculative improbabile: vel, omne speculative probabile, est etiam practice probabile.* Sequitur secundum, quod si speculatio attingat omne, quod concurret ad praxim talis actionis, tunc valet consequentia mutua à veritate, aut falsitate cognitionis practice ad veritatem, & falsitatem speculative, adeoque omne practice improbabile, & falsum, erit etiam speculative tale, & contra. Ex hac doctrinâ inferam contra Adversarios, quod si damnata ut scandalosa sunt practice falsæ, ut vult Lumbier, & Torrec. erunt etiam speculative falsæ, adeoque si hæc opinio, *Licet videre ad satiæatem*, est practice falsa, erit etiam falsa speculativa idem affirmans. Ratio est; quia cognitio speculativa considerans omnes circumstantias objecti practici, quas considerat cognitio practica, eandem habet veritatem, & falsitatem, licet cum diverso tendendi modo: ergo si opinio practice probabilis est falsa, erit etiam falsa opinio speculativa attingens objectum sub ijdem circumstantijs, quas attingit practica.

Lumb.
Torrec.

Nota sexto, licet in propositione modali detur dictum, & modus afficiens dictum, attamen propositio modalis nullam aliam habet veritatem, aut falsitatem, quam illam, quæ est in modo. Ratio est; quia in propositione modali solus modus est, qui affirmatur, vel negatur, dictum autem ex se nec affirmatur, nec negatur: ergo tota veritas, aut falsitas est in dicto. Hinc inferam deceptum Lumbier, & Torrec. (quod ipsum deinde, postquam meis Auditoribus prius dictaveram, observatum vidi à P. Card. tom. 4. n. 186.) dum dicunt in propositione modali, dictum esse posse verum, & modum falsum; hæc enim doctrina est certo falsa, quia in modali dictum, nec affirmatur, nec negatur, ut patet; dum dico, *Petrum currere* est possibile, non affirmo *Petrum currere*, quod est dictum, sed tantum affirmo *esse possibile*, qui est modus: ergo dictum, nec est verum, nec falsum. Ex hac etiam doctrinâ inferam, quod cum omnis damnata sit modalis, nam supponit, aut exprimit *tò licitum*, vel *tò probabile*, sequitur, quod si *tò licitum*, aut *probabile* etiam per Adversarios est falsum, tota propositio est falsa: ergo omnis damnata ut scandalosa est falsa.

Nota septimò, omnes damnatas tam ab Alexandro VII. & VIII. quam ab Innocentio, esse explicitè, aut implicitè modales: Explicitè modales sunt, quæ continent modum, *licitum, probabile, non damnamus de mortali, non peccat mortaliter, non obligat, po-*

test, subintellige *moraliter*, seu *licite* s' hæc enim etiam verba significant idem, ac *licitum*. Implicitè modales sunt, quæ supponunt eundem modum, *licitum, vel probabile*, etsi cum non exprimant; quod autem supponant, est mihi certum, quia Authores, qui damnatas tradiderunt, docuerunt illas, vel ut practice, vel ut speculative probabiles, talis est 17. Satis est actum fidei semel in vitâ elicere; 16. Fides non cadit sub præceptum speciale; quæ utraque damnatur ab Innocentio, & supponit nullam dari obligationem credendi ex præcepto speciali fidei, vel saltem non dari nisi ad semel eliciendum actum fidei, etsi quis diu viveret; quarum prima docebatur ut practice probabiles, secunda ut speculative probabiles, licet ex hac inferretur illa; tales sunt etiam 19. 20. 21. ex damnatis ab Innocentio; nam 19. docebatur, ut speculative probabiles, & ex eâ inferbatur 20. & 21. ut practice probabiles; talis etiam est 48. & 49. ut mox dicam: ergo certum est, omnes damnatas esse saltem æquivalenter modales.

Inn. XI.

Nota octavò, quod fere omnes damnatæ docebantur ut practice probabiles; vel enim sermo est de damnatis ab Alexandro VII. & omnes præferunt practice probabilitatem, nam dicunt *esse licitum, non teneri, esse probabile, non peccare*, qui termini sunt in ordine ad operationem: ergo omnes damnatæ ab Alexandro VII. ut scandalosæ, affirmabant practice probabilitatem, & à suis Authoribus tamquam practice probabiles traditæ fuerunt: vel loquimur de damnatis ab Innocentio XI. & de his dico, quod fere omnes, paucissimis exceptis, affirmant practice probabilitatem, nam dicunt *esse licitum, non obligare, non peccare, posse moraliter seu licite*. Dixi, paucissimis exceptis, & quidem aliquæ ex his mixtæ sunt probabilitate speculative, & practice; tales sunt 12. Vix in secularibus invenies superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam; cujus prima pars docebatur ut speculative probabilis; secunda autem, quæ infertur ex primâ, docebatur ut practice probabilis; 35. Est probabile omnem fatum, quamdiu est in utero, carere animâ rationali, adeoque nullum in omni abortu committi homicidium; cujus prima pars tradebatur, ut speculative probabilis, secunda illata ex primâ, ut practice probabilis; 49. Mollities jure naturæ non est verita, unde si Deus eam non vetasset, esset sepe bona, & aliquando obligatoria sub mortali; cujus prima pars tradebatur ut speculative, secunda illata ex primâ, ut practice probabilis. Aliæ autem

N.
101.
Alex.
VII.

N.
102.

autem videntur puram speculativam probabilitatem præferre, quamvis ex iisdem facile quilibet inferet probabilitatem practicam: tales sunt *tertia*, Sufficit tenuis probabilitas ad prudenter operandum; ex quâ innumera practicæ falsa inferuntur; 16. Non datur speciale fidei præceptum; 19. Voluntas non potest facere, ut assensus fidei sit firmiter motivo, à quo impellitur; ex quibus inferitur fidem ex se non obligare, & voluntatem licite posse repudiare fidem, & fidem stare posse cum formidine revelationis Divinæ, quæ opiniones tradebantur, ut practicæ veræ, & sunt damnatæ; 23. Sufficit ad justificationem fides latè dicta; ex quâ inferitur, neminem fide strictâ teneri credere, ut iustificetur, quæ est practicæ falsa. 48. Fornicatio secundum se nullam includit malitiam; ex quâ affirmatâ ut speculativè probabili inferri posset, fore aliquando bonam, immò necessariam, ut infereretur ex 49. quod tamen est practicæ falsum. Vel sermo est de damnatis ab Alexandro VIII. & de his dico, quod licet plerique asserunt probabilitatem speculativam, plures tamen affirmant etiam, vel inferunt practicam; tales sunt 1. Quod sufficit ad peccatum mortale libertas in Adamo; ex quâ plurima inferuntur peccata; talis 3. Non licet sequi probabilissimam; ex quâ inferitur peccare, qui sequitur probabilissimam; talis 20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ, & ferè omnes aliæ, ut patebit consideranti. Ex quâ annotatione inferam contra Adversarios, quod ut mea sententia asserens omnes damnatas ex Cathedrâ ut scandalosas esse certò falsas, sit vera, satis est, ut opinio damnata sit falsa falsitate opposita veritati, quam damnata supponebat: ex gr. si damnata assereretur practicæ vera, ego dico practicæ falsam; si speculativè vera, dico eam post iudicium Papæ esse speculativè falsam: quia autem, ut dixi, pleræque ex damnatis loquebantur de probabilitate, seu veritate practicâ, immò illæ paucæ, quæ præferunt probabilitatem speculativam, tradunt illam plerumque in ordine ad praxim; hinc dicam, quod eo ipso, quod Adversarii concedunt, damnatas ut scandalosas esse practicæ falsas, dicunt quod nos; quod si dicant non dicere quod nos, quia nos dicimus esse speculativè falsas, tunc dico nobis videri, quod non penetrent propositiones; ego enim dico damnatas esse falsas, & continere falsitatem oppositam veritati, quam indicabant; si veritatem practicam, dico esse practicæ; si speculativam, dico eas esse speculativè falsas. Immo ex hoc Tom. I.

ipso, quod aliquæ ex damnatis juxta Adversarios adhuc retineant veritatem speculativam, eo ipso dicere non possunt, esse post damnationem practicæ falsas, si ad rem loquuntur; nam cum nullam veritatem practicam continerent, nullam etiam veritatem practicam per damnationem amittunt; ergo si quam amittunt, est veritas speculativa, quam præferebant.

Nota nono, præminentiam iudicii Pontificij supra omne iudicium, non tantum Doctoris privati, sed etiam omnium sapientum, ut ait S. Thom. *Quodlibet*. 10. art. 6. s. Th. *Magis standum est auctoritati Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam quorumlibet sapientum in Scripturis opinioni*, consistere non tantum in certitudine, quam haurit ex assensu Spiritus S. sed etiam in perpetuitate, ita ut quod semel definitur ut certum, sit semper toto tempore futuro certum, adeoque sicut Papa declarans opinionem aliquam esse hæreticam, eadem in eodem sensu est omni tempore futuro hæretica; ita declarans aliquam improbabilem, eadem est omni tempore futuro in eodem sensu improbabilis, ita ut de ejus probabilitate concludatur, & desperatum sit. Hæc notanda fuerunt ad perfectam nostræ sententiæ intelligentiam.

§. III.

Nostra sententia.

S U M M A R I U M.

Damnata ex Cathedrâ ut scandalosa, non gaudet probabilitate, quâ antea, n. 105.
Est reflexè improbabilis, n. 106.
Est directè falsa, n. 107.
Est certò illicita, n. 109.
Nulla damnata à Papâ ut scandalosa, est scandalosa ex ignorantia, n. 111.
Contra illam stat certum Papæ de non licentiâ iudicium, ibid.
Cur omnis opinio ex objecto scandalosa sit falsa? n. 113.
Censura Theologica supponit falsitatem, ibid.
Si opinio habeat contra se quid certum, est improbabilis; si nil contra se habeat certum, nec pro se habeat grave fundamentum, non est probabilis, n. 115.

Prima conclusio: Opinio declarata à Papâ loquente ex Cathedrâ ut objectivè scandalosa, non est amplius probabilis eo genere probabilitatis, quo antea; ita ut, si prius erat probabilis speculativè, non est amplius speculativè probabilis; si probabilis practicè, non est amplius practicè probabilis.

F ij Secunda